



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Patrum Societatis Jesu

Couplet, Philippe

1686

XLVIII. P. Franciscus Brancatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64697](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64697)

Vita, mors & exequia P. Gabrielis de Magalhães.

De Leone libellus ex occasione leonis à Lusitano legato Imperatori oblatus.

De Falcone liber item oblatus Imperatori.

XLVIII. P. FRANCISCUS BRANCATUS Siculus eodem anno 1637. prædicavit fidem in Prov. *Nan kim* urbibus *Su cheu. Su kiam & Xam hay*: ubi Domini Jacobi, filii unici Colai Pauli & nepotum ejusdem auctoritate ac exemplo, nec non Prætorum favore supra 90. templa & 45. Oratoria in variis circum oppidis & pagis modo numerantur, & maxima Christianorum multitudo. Vigent hîc & alibi in singulis Ecclesiis & Oratoriis sodalitia Passionis Dominicæ, ubi ferventiores Neophyti sextis feriis coram imagine Crucifixi Jesu sese flagris cruentant: Sodalitia item SS. Angelorum pro instruendis puerulis; ad quod munus 60. Catechistarum sodalitium sub S. Xaverii auspiciis institutum: ut nihil dicamus de sodalitia sub S. Ignatii nomine & patrocinio, quod primo quoque mensis die frequentant Neophyti litterati. Anno demùm 4. *Cam hi* Imp. cum reliquis ex aula relegatus est in *Quam tum*, ubi anno ejusdem Imp. 10. (1671.) obiit in Metropoli *Quam cheu*; deinde translato in Prov. *Nan kim* ejusdem feretro, sepultus est in *Xam hay* extra portam Australem. Ab eo edita.

Tractatus de Eucharistia cum variis exemplis.

10. Decalogi praecepta exemplis illustrata.

Ecclesiae praecepta.

Refutatio vanarum divinationum.

Ascensio mensis in Deum ex creaturis.

Conciones ejusdem manuscriptae vulgò leguntur.

XLIX. P. MICHAEL VALTA Germanus *Zum chim* Imp. anno 11. (1638.) venit in Prov. *Xan si* oppidum *Pu cheu*: ubi æde cum Ecclesia extructis, anno ejusdem 16. (1643.) rebellibus oppidum ferro & flamma vastantibus, multis vulneribus sauciatus, post triduum obiit: sepultus extra oppidi muros.

L. P. NICOLAUS FIVA Germanus eodem anno 1638. venit in *Ham cheu* Metropolim Prov. *Che kiam*, ubi deinde obiit & sepultus est in loco *Fam cin* dicto.

LI. P. FRANCISCUS FERRARI Pedemontanus *Zum chim* Imp. anno 13. (1640.) prædicavit fidem in Prov. *Xensi*, & *Xan tum*, ubi fundavit Ecclesiam, dein *Cam hi* Imp. anno 4. profectus est in *Quam tum*, unde sexennio post ab exilio cum reliquis revocatus diplomate Regio ad Ecclesias *Xensi*, cum jam pervenisset in Prov. *Nam*